



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Diff. II. Adferuntur loca pro Divinitate Spir. S.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

batum est. Potest etiam Deus scrutari profundum Dei, quia Ly scrutari non notat velle incognitum scrutari, & nosse: nam etiam Deus dicitur corda scrutari cui nihil incognitum: sed scrutari hic accipitur, pro penitus noscere, quæ locutio magis saluatur accedente reali personali distinctione, tertiæ personæ à reliquis. Ex hoc autem loco, quæ Dei sunt nemo cognovit nisi Spiritus Dei, inferre debuisset Crellius Divinitatem illius, quod ne faciat hoc oggerit; nempe illud *Nemo potest* excludere alias personas, non enim creaturas intellectuales, quia ridicula foret locutio, nemo hominum aut creaturarum, ea scit quæ sunt Dei nisi Deus Pater, nunquid Pater est in hominum aut creaturarum numero: sed id etiam non convincit; bene enim dici potest, Spiritum S. esse in numero spirituum; unde Ly *Nemo* supponit pro nullus spiritus, imò ex hoc ipso, ut innui loco stabilitur Divinitas Spiritus Sancti. Et sicut non est ridicula locutio, nemo id novit nisi Deus, huiusque locutionis sensus est, nulla creatura id novit, sed solus Deus, ita & in præsentī, dicta locutio non est ridicula.

OBJICIT 10. ex apparitione Patris, Filii, & Columbæ ad Jordanem colligitur, aliam Spiritus S. essentiam, aliam Patris, & Filii esse: Et eum essentia Patris de cælo non descendit, nec formam illam corpoream assumpsit; essentia autem Spiritus Sancti utrumque fecit.

RESPONDETUR. Non fuisse unitam hypostasice personam Spiritus S. naturæ columbæ; sed hoc fuisse non nisi imaginem, & similitudinem: potest autem in symbolis esse varietas, non in essentia; & ita symbolum erat Dei & nubes, & columna præcedens.

INSTAT 1. Deus summus non movetur, & cælo autem illa columba descendit.

RESPONDETUR. Figuratè dici Spiritum S. descendisse, sicut dicitur de Deo, quod descendit, ut videret malitiam Sodomæ.

INSTAT 2. Qui ergo ex hac apparitione inferretur Trinitas.

RESPONDETUR. Inferri; sit enim mentio Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

INSTAT 3. Quæ fuerit singularis hic adumbrata operatio Spiritus Sancti per hoc symbolum columbæ?

RESPONDETUR. Adumbratum fuisse vel genitum, quoniam facit gemere, vel bonitatem, quia dicitur felle carere; Ratio autem boni personalis amoris appropriatur.

DIFFICULTAS II.

Adferuntur loca pro Divinitate Spiritus Sancti.

Libet præfari cum Gregorio Nanzianzeno Orat. 37. *Vetus Testamentum Patrem aperit*

prædicat, Filium obscurius, Novum Testamentum Filium nobis perspicue ostendit, & Spiritus Divinitatem nobis subobscurè quodam modo indicavit, nunc Spiritus ipse nobiscum verè versatur, seque nobis apertius declarat.

Ex Veteri Testamento.

PRIMA AUCTORITAS pro Divinitate Spiritus S. Isaia 6. *Deus summus & Dominus exercituum dicit; Audite audientes & nolite intelligere.* Ex quo loco sic arguitur. Is qui locutus est prædicta verba, erat Deus, appellatur enim Dominus exercituum, & quo fundamento supponitur alibi, Deum loqui, ex eodem debet supponi, etiam hic loqui, & si Prophetis, & in particulari hic, isti, non est Deus locutus, non ergo verba illa revelavit Deus: Revelatio enim est locutio divina, sed is qui dicta verba locutus est erat Spiritus Sanctus: expresse enim Apostolus Actor. ult. v. 15. dicit: *Quia bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad Patres nostros dicens; Vade ad populum istum, & dic ad eos, aure audietis & non intelligetis.* Quo argumento utitur Nissen. Basil. Cyrill. & alii.

In idem recidit si dicas, is qui revelabat in Veteri Testamento ea quæ revelata sunt, est Deus; hoc enim tot illæ locutiones Veteris Testamenti significant, *Hec dicit Dominus*, & significat id Canticum Deiparæ illis verbis: *Sicut locutus est ad Patres nostros.* Canticumque Zachar. sed hic revelans erat Spiritus S. quia secundum illa Petri 1. expresse dicitur, *Spiritu S. inspirati locuti sunt sancti Dei homines.*

RESPONDET 1. Quod Spiritus Sanctus sit causa non nisi instrumentalis illius locutionis, &c.

CONTRA, quia æqualiter loquitur Deipara de Deo & Spiritu Sancto, itemque ipse S. Petrus & S. Paulus. Deinde arbitrariè dicitur, Spiritum Sanctum esse causam non nisi instrumentariam.

RESPONDET 2. Crellius. Per Spiritum Sanctum Isaia Davidi & aliis locutum esse Deum, quatenus Spiritu, atque efficacia sua, faciebat eos scire, quæ dicere debebant, & ad illa proferenda illos impellebat. Et sicut ex loco Apoc. c. 2. & 3. ubi dicitur: *Qui habet aurem audiendi, audiat, quid Deus dicat, quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Non rectè inferretur, Spiritum Sanctum esse Filium Dei, cum illic perpetuò loquatur Christus. Ita nec inferretur, ex dictis locis Spiritum Sanctum esse Deum. Rursus ex eo, quod Jehova dicat, se apparitum Prophetis n. 12. v. 6. non licet inferre quod Angeli sint Deus, quamvis illi apparuerint, hinc nec in præsentī rectè inferretur Divinitas Spiritus Sancti; *Quia locutus est Deus & Spiritus Sanctus.*

Dd 3

CON-

CONTRA est. Tum, quia quarto, an Spiritus illa efficacia ipse sit Deus, vel non? si est, habetur intentum; nam ejus in persona distinctio aliunde probatur: si autem non est Deus; ergo contradicis Scripturæ, quæ illum Spiritum loquentem, & revelantem sine addito appellat Deum. Tum, quia cum aliunde constet Angelos non esse Deum, hinc quando nominatur Deus aliquid per illos fecisse non potest inferri, Angelos esse Deum. Jam autem aliunde non constat, Spiritum S. non esse Deum, & cum absolute appellatur Deus, quare exinde non inferetur ejus Deitas? Unde cum constet in Apoc. Christum perpetuo loqui, & aliunde nobis Catholicis constat Spiritum S. esse distinctum à Christo, male inferetur, Christum esse Spiritum Dei, eo quod ibi Spiritus Dei dicatur loqui; in præsentem autem nihil simile ostendi potest. Tum quia, quando dicitur Deus dedisse legem, & Angeli, longè alia phrasi id describit Scriptura, ut ostendit textus.

SECUNDA AUCTORITAS est. Quia, qui Creator est hominis & cælorum est Deus summus, ut colligitur ex initio Genes. Spiritus S. est creator hominis & cælorum, ex illis verbis Eliu Job. 33. v. 4. *Spiritus Dei fecit me, & spiraculum Omnipotentis vivificavit me.* Job etiam ipse cap. 26. v. 4. *Spiritus Dei ornavit cælos.* Et Psal. 13. *Verbo Domini cæli &c.* Et Psal. 103. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur.* Quod si dicas, hic nomine Spiritus intelligi illud spiraculum quod inspiravit Deus, contravenies Scripturæ, quia illud spiraculum non fecit cælos, & quia ille Spiritus non posset dici facere hominem, sed factio homini infundi. Ad quod advertit etiam Iren. l. i. c. 5. citatus à Petavio. l. 3. c. 7.

TERTIA AUCTORITAS est ex 2. Reg. 23. *Spiritus Domini locutus est per me & sermo ejus per linguam meam. Dixit Deus Israel mihi, locutus est fortis Israel, dominator hominum.* Ex quo loco sic arguitur. Ille qui prædicto locutus est, est Deus; expresse enim Deus dicitur à Davide, sed illi qui locutus est, erat Spiritus, ut expresse nominatur: Ergo, &c. Et certe quamvis Angelus ista omnia fuisset locutus, quia non aptantur hæc verba ipsi Angelo, sed Deo; nec dicitur Angelus loqui, sed Deus; Ergo cum dicitur loqui Spiritus S. bene inferetur esse Deum.

Ex Evangelio.

PRIMA est AUCTORITAS ex illo Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.*

SECUNDA AUCTORITAS. Quia si bene arguitur ex illo loco, *Ego ex Deo processi*, Divinitas Christi, etiam ex hoc loco, *qui appellatur Spiritus Veritatis, qui à Patre procedit*, recte inferetur Divinitas Spiritus Sancti.

TERTIA AUCTORITAS ex illo Joan. 14. v. 16. ubi dicitur, quod *Spiritus S. mundus accipe-*

re non potest, quod illi mundus non videat, quod conforme est illi. Deum nemo unquam vidit.

Ex aliis Canonicis Scripturis.

PRIMA AUCTORITAS est ex Act. 3. *Cur tentavit Satanas cor tuum, ut falleres Spiritum S.* subdit quæ *non es mentitus hominibus sed Deo*, unde sic arguitur; Commisum mendacium contra Spiritum S. quem dicitur voluisse fallere Ananias, est commissum mendacium contra Deum; Dicit enim Petrus, quod mentitus sit Deo. Ergo, &c.

RESPONDET I. Cællius: Quod Scriptura aliter loquatur de Deo, aliter de Spiritu S. Nam de Spiritu S. dicit mentiri seu fallere, ac ludificari Spiritum S. de Deo dicit mentiri Deo, ita ut illud primum denotet simpliciter objectum circa quod fraus, ac ludificatio versatur, hoc verò secundum ostendit scopum ultimum, in quem injuria, ac contumelia redundet, & si supponitur Spiritus S. esse Deus, ad quid cum fuisset dictum, quod fallere voluerit Spiritum Sanctum, additur insuper, mentitus es Deo.

CONTRA est. Tum, quia in communi usurpatione non dicitur, quod mentiamur aliquem, sed quod mentiamur alicui. Unde erit fallere aliquem falsum dicendo ludificari; loquendo scilicet non vera pro veris, ac mentiri; Ergo idem erit dicere, mentiri Spiritui S. ac fallere vel ludificari Spiritum S. Tum, quia Objectum circa quod sermo versatur, si non sit id, quod aliquis negat, est ipsa persona, contra quam fit mendacium, si enim aliquis non loquitur, de objecto distincto ab audiente, loquitur de Audiente. Tum quia, quamvis constaret ex doctrina Apostoli Spiritum S. esse Deum, poterant adhuc Divinitatis ejus meminisse: nam constat primam personam, & esse Deum & esse Patrem, & nihilominus hoc utrumque in Scriptura poni solet.

RESPONDET 2. Uno eodemque actu potest quis duobus mentiri, & uni quidem per alterum seu uni immediate, ut hic Spiritui Sancto in Apostolis habitanti, alteri ut Deo; sic qui fideles persequitur, persequitur Christum; qui Apostolos audit, Christum audit, nec inde quisquam concluderet Apostolos vel Fideles esse Christum.

CONTRA est. Quia nullum est fundamentum loqui hic Scripturam de Spiritu S. & Deo, tanquam de duobus, omnino distinctis. Tum quia, quando loquitur Christus de se & Apostolis, de se & Fidelibus, condistinctim tanquam de duobus loquitur, quod in præsentem non fit. Tum quia, quando dicitur, Deus & Pater non est distinctio duorum; Ergo in præsentem idem dicendum: immo cum dicat, quod non sint mentiti hominibus, videtur secerni, quod mendacium non sit factum contra creaturam; Ergo factum contra Deum.

RESPON-

RESPONDET 3. Si licet ita argumentari, Ananias mentitus est Deo. Ananias mentitus est Spiritui Sancto; Ergo Spiritus S. est Deus. Licet etiam ita argumentari; Paulus persecutus est fideles. Ergo Paulus persecutus est Christum. En hinc concluditur non minus particulariter, particulariter enim aliquis persecutus fideles, persecutus est Christum, consequenter inferetur particulariter. Ergo aliquis qui mentitus est Spiritui S. mentitus est Deo.

CONTRA est. Quia in illa retorsione negatur Consequentia, quia medius terminus non attribuitur, ut dictum supra: non enim illius Majoris est iste sensus; Omne cui competit quod illud Paulus persequatur, competit esse Christum: nos autem admittimus; Cui Ananias mentitus est, omnino illi competit esse Deum.

SECUNDA AUCTORITAS est 1. ad Cor. 13. 6. *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitet in vobis*, similia habentur c. 6. v. 19. Ex quibus locis sic arguitur. Cujus templum, est templum Dei, ille est Deus. Sed templum Spiritus S. est templum Dei; nam dicitur; *Nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti*. Et alias; *Nescitis, quia templum Dei estis*. Ergo.

RESPONDET Crellius pluribus viis huic argumento; scilicet templum esse non tantum summi Dei, sed etiam ejus qui sit illi in imperio cultuque Divino subordinatus, vel saltem templum non est non nisi ipse Dei, quatenus templum à nulla alia persona diviniore quodam jure possidetur, quam à Deo: Cæterum etiam ab Angelis tanquam Dei ministris incoluntur: unde qui vellet hoc loco uti, deberet ostendere Spiritum S. esse personam, cujus ab honore corpus nostrum est dicatum, & quod diviniore jure possideretur ab eodem.

CONTRA est. Tum quia hujus ipsius redenda fuisset ratio, cur templum possit esse Dei subordinati? Item quomodo possit aliquis esse Deus sine addito, & tamen subordinatus: hic

autem est mentio Dei sine addito, & si ponantur Dei subordinati tales subordinatos Schola non nisi admittit Plurichæistam. Tum, quia nunquam dicitur templum esse alicujus Angeli; Ergo Templum sine addito alicujus per Scripturam indicabit divinitatem sine addito. Tum quia probatio quod Spiritus Sanctus sit persona, ex hoc loco non sumitur; sumi tamen posset, quia debet esse non accidens, sed substantia, & quidem intellectualis personata, nam templum non est nisi persona. Quare autem præter appellationem templi Spiritus Sancti additur, quod sit templum Dei, id fit vel ad ostendam distinctionem personæ, vel ad ostendam illius distincte Divinitatem.

TERTIA AUCTORITAS est ex 1. ad Corinth. 12. v. 4. *Et divisiones operum sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus*. Subditur; *Hec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus*. Ex quo loco sic arguitur; *Qui operatur omnia, Deus est*, ex prioribus verbis, qui operatur omnia Spiritus S. est, ex posterioribus verbis. Ergo Spiritus Deus est.

RESPONDETUR. Aliud esse Spiritum S. esse illum unum Deum, & aliud; cum illum unum Deum appellari, quia de re hic agitur. Deinde, argumentum multum probaret, quia concluderet etiam alias personas esse Spiritum Sanctum.

CONTRA est. Concedamus, interest distinctionem illarum propositionum, cur ex allato textu, prima propositio non verificabitur, cum appelletur expresse Deus; Spiritus Sanctus, si conjunctim utraq; propositio, sumatur. Quod autem adducit illum Spiritum S. fore totam Trinitatem, jam alibi solutum est.

Possent alia plura loca adferri, ut ex 2. ad Corinth. 3. v. 16. *Ubi appellatur Spiritus S. Dominus ad quem debet fieri conversio; tribuitur illi justificatio 1. ad Cor. 6. v. 11. Ad Rom. 8. Spiritus Dei, aut Filii, Dei dicuntur*. Resurrectio Christi, quæ attribuitur Patri, si verba ut sonant accipiantur, attribuitur etiam Spiritui Sancto, ad Rom. 4. &c.

*Et hæc de Divinis satis non Divinè; quia te decet silentium
Deus etiam in Schola.*

A. M. D. G. Bqj. V. H.

b.M.



Dd 4

INDEX.